



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

De Vita Et Miracvlis Sancti Erminoldi Nobilis Sueui, in Hirsaugiensi
cœnobio monachi, Abbatis Lorsacensis, Et Postea Primi Abbatis In
Prüfeningensi Monasterio prope Ratisponam à Sancto Ottone ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

De VITA ET MIRACVLIS

Sancti

ERMINOLDI

Nobilis Sueui, in Hirsaugiensi cœnobio monachi, Abbatis Lorsacensis,

*ET POSTEA PRIMI ABBATIS IN
Prüfeningensi*

Monasterio prope RATISPO NAM à Sancto OTTONE
Bambergenſi Episcopo ædificato.

LIBRI DV O

IVSSV VL RICI DECIMI SEXTI

ABBATIS PRVFENINGENSIS,

Anno M CCLXXXI.

conscripti

à

Monacho Prüfeningensi.

Nunc primum ex codice m. s. editi & notis illustrati

ab

HEINRICO CANISIO NOVIOMAGO
Iuris consulto.



Sss 2

INCL.



INCIPIT PROLOGVS IN
*vitam Sancti Erminoldi primi Ab-
 batis in Prusingen, Rhetorico
 stilo conscriptam.*

Psal. 16.



Hebr. 19.

NOVISSIME diebus istis, in quibus (proch-
 dolor) iuxta Psalmistæ querelam, defecit
 sanctus, & diminutæ sunt à filijs hominum
 veritates, bonorum antecedentium sancti-
 tatem & scripto recolere, & memoriæ tra-
 dere posterum, tam rationis instinctu mō-
 nemur, quam ipsa vtilitate allicimur & profectu. De-
 niq; Sanctus Sanctorum à quo Sanctitas omnis tanquam à
 fōte primario scaturigine multiformi permanat in sanctos,
 in riuulorum limpida puritate dum noscitur & laudatur,
 sui sitim in eis excitat salutarem, qui ab eo dulcedinem de-
 riuatam in suorum mirifica suauitate legendo præsentium
 & prægustant. Accedit ad hoc quod nos qui futuram
 inquirimus ciuitatem, manentem in hoc sæculo non ha-
 bentes, dum in huius vitæ ac viæ procinctu eorum calles
 aspiciamus, qui tam aduersantis mundi sinistram, quam
 blandientis, dextram contemnendo, viam regiam ince-
 dentes seruauerunt, ipsi quoq; rectorum recta sectando
 vestigia, non abducimur ad intorta compita deuiantium
 plurimorum, qui se sequentes illaqueant & illaqueatos
 immergunt doloribus sempiternis. Postremo illud quo-
 que sanctorum bona commemorando consequimur &
 scribendo, quod illorum eo ipso meremur auxilijs adiu-
 uari,

uari, quo eorum virtutibus congaudemus & gloria. Dūque alios hæc legentes ad studium boni bonorum accēdimus & monemus exemplis, ipsorum nobis, quos prouocauimus, intercessio cōsequitur, & à domino, in quo laboramus, certa remuneratio comparatur. Ista considerando ad Beatissimi *ERMINOEDI PRUENINGENSIS* Ecclesiæ primæ Abbatis gesta magna describenda, cursum stili dirigimus, qui gregis nostri tanquam Aries quidam insignis & prædux, & fidelissimus Protopastor, ad caulas summi pastoris æthereas nos præcessit. Nec tam arduum opus aggredimur, in nostris, quæ nullæ sunt, viribus cōfidentes, sed in eo sine quo nec incipi potest bonū aliquod nec cōpleri. Animat nos præterea, & id tentandi præstat audaciam ipse inchoationis huius instinctor præcipuus & iniunctor, venerabilis scilicet Pater dominus *VLRICVS* sextusdecimus Abbas Priueningensis Ecclesiæ, qui antecessoris tanti virtutibus coëxultans, ac per hoc nequaquam carens ipse virtutibus, Anno incarnationis dominicæ *M. CC. LXXXI.* primo anno sui regiminis, onus hoc Atlanticum nobis tanquam pigmeis imposuit, vno eodēq; præcepto suo ac iussu, autoritatis suæ scutum opponens linguæ calumniati, quæ nos præsumptionis forsan argueret, & insufficientiæ nostræ desperationis obicem auferens, & ausum conferens ad iniuncta. Scriptum autem scientes esse: Nunquid Deus indiget vestro mendacio, vt pro illo loquamini dolos, ^{Iob 13.} oprantes nos ad exprimenda vera sufficere, nihil circa rem gestam addere vel mutare conabimur, nihil de proprio cōfingemus, sed vt fidelis ad nos vsq; traduxit antiquitas siue ^{fort. sententiæ} veritate seruata, stilum aliquanto tentabimus facere compitiorem, ne rei utilitas, tamquam Falerni nobilitas ac dulcedo ob ruditatem incultius eloquij, tanquam ob uasculi cariem contemnatur. Sæpius etenim crater tornatilis

& elegans; potum bonum & bibilem meliorat; defortis
vero catinus, infusi & nectaris minuit suauitatem.

INCIPIT VITA.

I.
Psaln. 12.

SITVR cum Apostolicę predicationis in omnē
terram lonus exisset, & in fines orbis terrę ver-
ba eorum, granorum more dispersa, per cam-
pos mundi latissimos & patentes, in fructus
proficerent copiosos, & ex omni natione quę sub cęlo
est, cęli horrea messe fidelium replerentur, ALIMANIÆ
quoq; deserta in vbertatem versa, virorum illustriū plures
dignos agricolę Christo manipulos protulerūt. Ex quibus
AVGVSTA quidem rutilat VDALRICO, CHVNRAO CON-
STANTIA sufflorescit. Alio VDALRICO HIRSAVGIA venu-
statur, gloriatur HENRICO & CHVNEGVNDA sua BABEN-
BERCH & OTTONE. ALTACH ac HYLDENSHAIM GODE-
HARDO illustratur. Alia quoq; GERMANIÆ loca quam
plurima pluribus alijs tantis & tot exultant, quod vt de his
taceatur quos vel hominis segnis ignauia, vel incuria suc-
cessorum, seu etiam diutini temporis intercurfus, memo-
rię humanę subtraxit, quos tamen indelebiliter continet
vitę liber, melius ac fœlicius semp in Dei pręsentia, quā in
nostra memoria breui ac momētanea constitutos. Si lice-
ret, horū omnium vellemus mentionē facere nominatim,
quos nomina & virtutes, viuacis scripturę tenacitas, adhuc
quasi cuiusdā indicis ostensione pręsentat, numerositate
sola vocabulorū capacissimi certe codices tēderent. Hęc
idecirco diximus vt in gaudio recordemur, quomodo ter-
ra nostra per infidelitatem quondam sterilis peperit pluri-
mos vere ac veraciter Samueles: qui licet in suo quisq; loco
diuisi, in vno tamen spiritu prout vult, singulis diuidente,
soli domino laudabiliter, yt quondam ille Samuel serui-
erunt,

Philip 4.

1 Cor. 12.
1 Reg. 3.

erunt, in sanctitate & iustitia coram illo. Inter quos Deus omnipotens similem illum fecit in gloria sanctorum, de quo scripturi sumus, Beatissimum scilicet **ERMINOLDUM** **PRVINGENSEM** primum Abbatem, speculum sui temporis & exemplar, & posterorum lumen & iubar illustre. Et tu ergo **Ecclesia PRVINGENSIS** nequaquam minima es in principibus Monasterijs **ALEMANIE**, ex te enim exijt, non quidem carnis exortu, sed spiritu transitu ex hoc mundo ad patrem venerabilis ille Dux, qui de vita secularis **Egypto** eductus, vita pariter & virtute **Moyfaica**, **Pharaone** id est principe mundi relicto, ad terram veram promissionis, ut alter **Iosue** te precessit, **Seon** regem **Amorreorum** & **Og** regem **Basan** & omnia regna **Chanaan**, per quam multiformis infirmitas intelligitur vitiorum, strenuo ante congressu triumphans. Ad cuius illustria tandem calamus se conuertat, quem spiritus sanctus & temperare & irrigare dignetur, qui eius quem descripturus est, tanquam venerabilis templi sui consecrator pariter extitit & possessor.

Luc. 7.
Ephes. 4.
1. Thess. 3.
Mich. 7.

DE ORIGINE S. ERMI

noldi.

BEATVS igitur **Erminoldus** de gente **SVEVORVM** progenitoribus quidem exortus est, modo seculari satis claris. Qui concessio sibi pignore tali diuinitus, Dei gratia non ingrati, filium suum in **HIRSAYGIENSI** cenobio diuinis curauerunt obsequijs mancipare. **Annæ** illius utiq; spiritu non carentes, ut sicut alter **Samuel** à iuuentute sua & vsq; in senectam & senium coram domino ministrare consuesceret in eodem. In quo videlicet studio pietatis

II.

Sap. 8.

tatis desiderium eorum attulit eis Dominus, nec sunt fraudati à desiderio suo, dum quod omnimodis optauerūt completum sibi que concessum in filio lætabantur. Deniq; puer erat ingenuosus, & sortitus est animam bonam, & ingenij quidem capacitate, scientiam præpollentem, ac animæ bonitate, virtutes eximias apprehendit, bonitatem & disciplinam & scientiam doctus à Spiritu, à quo profecto ductus est in desertum vitæ claustralis. Vbi licet à Diabolo tentaretur, membrum tamé insigne capiti Christo cohærens, & capitis armatura triumphans exiuit vincens vt vinceret, & victor coronam perciperet repromissam. Beati igitur regulam BENEDICTI, benedictus ipse à Domino tanquam regni tramitem apprehendens, iter vitæ suę secundum statutum illius ita direxit, vt Abbas ex Monacho, magister fieri ex discipulo mereretur. Siquidem beati VVILHELMI tunc HIRSAGIENSIS Abbatis vitæ modum ac formam ita moribus suis impressit, ita perfectionis illius studuit imitari vestigia, vt iam qualis pater talis filius appareret, & magister in discipulo videretur, & nulla iam posset esse dubietas, super hunc Heliseum spiritum Helix & requieuisse. Idem vero venerabilis VVILHELMVS, apud Ecclesiam S. martyris EMMERANI in vrbe RATISPONA sub sancto RAMVOLDO, eiusdem Monasterij tunc Abbate Prior extiterat, non fama fallaci solummodo, sed veraci præconio meritum longelateq; clarescens, ad HIRSAGAVIENSEM est electus Ecclesiam, in qua Beatus, vt dictum est, ERMINOLDVS sub eodem spiritualis miliciæ tyrocinia taliter exercebat, vt non longi temporis interfluxu, signifer ex athleta, ex satellite campiductor & ex milite primicerius crearetur.

QVOMA.

QVOMODO S. ERMINOLDVS

*Prælatus est monasterio Lorfacensi
in Abbatem.*

DENIQ; sanctitatis illius tam sonora vox in Ra-
ma audita est circumquaque, vt lucernā sub mo-
dio seu vase subiectionis vltius tegi non sine-
ret vel abscondi, sed super candelabrum poni regiminis
persuaderet. Vnde factum est, vt tam fratrum electione com-
muni, quā HENRICI Imperatoris eiusdem nominis
quinti consensu atque fauore, ad LORSACENSIS ecclesiæ
regimen vocaretur, quæ regalis est Abbatia, illisq; diebus
& in copia rerum temporalium abūdabat, & in prærogati-
uis plurimis dignitatum. Hic itaque fidelis seruus & pru-
dens super familiam Domini constitutus, subiectis tamen
non tam præesse studuit, quā prodesse, nihil subditis fa-
ciendum iniungens, quod ipse exempli causa non primi-
tus pertulisset. Etenim iugum ab adolescentia sua porta-
uerat, & ipse maiorum ferendo mandata, imponenda
minoribus prædicerat temperare; Phariseorum scriba-
rumque nota prorsus immunis, qui alligant onera im-
portabilia, & ea humeris hominum iuxta sententiam Sal-
uatoris imponunt, ipsi ea digito non mouentes. Non sic
iste non sic, sed instar boni pastoris forma factus gregis ex
animo, creditas sibi verbo pavit ouiculas. Pavit exem-
plo sanctorum, pavit desiderio & subsidio temporalis. Pro-
pter quod grex qui datus est sibi pecus inclitum suum, nec
imminutus est numero, sed adauctus, nec defecerunt
sub eius cura subsidia temporalia subditis sed creuerunt.
Etenim tum in diebus sui regiminis, & numero subditi sui
& merito pariter auferentur, nec de multitudine subie-
ctorum

III

Matth. 21.

Thren. 3.

Matth. 23.

Pec. 3.

T t t

torum

æorum, nec de temporalium affluentia, nec de culmine dignitatis intumuit, sed magis in sanctitate atque profectu discipulorum quam in excellentia prælaturæ vel magisterij lætabatur, quod perpenni facilliter poterit per subiecta.

QUOD RESIGNAVIT PRÆ-
laturam.

IV.

HRATREM namq; carnalem vir Dei habebat, præter titulum sanguinis generosi, satis superq; & in diuitijs abundantem. Quodam vero die cum venissent viri Imperatoris, vt assisterent coram illo, affuit inter eos & ille viri sancti germanus. Cui subridens Augustus, animo fortè iocandi, Causa, inquit, tuæ dilectionis fratrem tuum regali præfecimus Abbaciæ, facientes sibi nomen grande, iuxta nomen magnorum qui celebrantur in terra, vt sedeat eum Principibus & solium gloriæ teneat inter illos. In quo igitur maiestatis nostræ munificentia respondebis? At ille: Vera, inquit, esse omnia recognosco, quæ præponit vestra serenitas, arbitrorque dignissimum, vt vestræ non ingratus inueniar pietati. Dictum duxit in actum, nec multo post decentibus satis Imperatorem muneribus honorauit, famulo domini ERMINGOLDO tam dicta Imperatoris, quam facta germani penitus ignorante. Caterum mox vbi ad eum res gesta deuenit, licet horum omnium nec conscius extitisset, LORSACENSEM resignauit Abbatiam, protinus tam curæ se subtrahens pastorali, quam vel notæ leuissimæ Simoniacæ prauitatis. Aduertendum est igitur quam execrabile duxisset hic sanctus per tale se vitium maculasse, vt & Prælaturam retinere detestaretur, pro qua nihil

vn-

inquam datum licet præbitum esset, adipiscenda, sed pro
iam adepta & de post facto frater suus Imperatori grates
per munera reculisset.

QVOD REDIIIT AD ECCLIE-
siam Hirsaugiensem.

RELICTO igitur Regimine LORSACENSI, tan-
quam bonę opinionis ac famę diluuiio ad archā
reiquiei sue, id est, ad HIRSAUGIENSEM Eccle-
siam & ad suum Noe Beatum videlicet VVILHELMVM,
tanquam emissa columba reuertitur, non sine ramo tamē
virentibus folijs venustato. Nam secuti sunt eum discipu-
li eius, non minus quā quadraginta, quos apud LORSAC-
CVM sub spacio vnus anni quo inibi præfuit, Deo colle-
gerat, vt quam fructuosus in vera vite palmes hic esset, Ioan. 15.
ipsa vbertate geniminis monstraretur. Denique in baculo
suo curę videlicet pastoralis, solus transierat ad LORS-
SACENSE Cœnobium, & nunc cum turmis discipulorum
reuertebatur HIRSAUGIAM: quorum collectio tanquam
ramusculus de hac sancta radice confurgens, paternę vir-
tutis gratia virescebat. Hi ergo ab eo separari non susti-
nentes, sicut ouiculę, dicentes non quidem verbis sed fa-
cto: Verba vitę æternę habes ad quem ibimus? pastorem Ioan. 6.
suum vsque HIRSAUGIAM lequebantur. Vbi & Gal. 4.
tanquam Angelus DOMINI cum honore susceptus,
benignissimē pertractatur, quippe cuius ibi sanctitatis præ-
conia non latebant. Porro propter nos homines & pro-
pter nostram salutem, qui præsentem locum incolimus
à Domino factum est istud, vt occasione quacunque oli-
ua fructifera & vere vitis abundans illic euelleretur &
transplantaretur in hac vinea DOMINI Sabaoth, quam

dextra Domini per sanctum OTTONEM BABERGENSEM Episcopum tunc fundauerat & compleuerat, vt hæc nouella recensq; plantatio de mundi Ægypto translata, mitteret altius sub tam industrio vinitore radices, dum quod sanctus OTTO plantauerat, hic rigaret, vtriuslibet meritis & obrentu domino dante desuper incrementum. Deo igitur nobis melius aliquid providente, quam humana solertia prævaleret, actum esse non ambigamus, quod columbinam hanc animam, & venalitatē, vt dictum est, Symoniacæ putre contagium sic horrētē, archa HIRSAVÆ IÆ, à prima missione recepit, vt occasione hac secundo mitteretur, vnde non esset vltterius reuersura. Ipso siquidem tempore Deo dignus antistes OTTO Episcopus Babenbergensis, Monasterium, sicut diximus, PRVVERVNGENSE fundauerat, cuius quidem possessionem ac fundum, intercedente coëmptione legitima, iustisque concambijs, nostro dominio comparauit, cum antea iuris alterius extitisset. Cæterum non humana voluntate allata est eadem fundandi voluntas, verum reuclatione sibi facta diuinitus euidenti, cuius opportuna occasione accepta hic modum ac seriem inseremus.

DE FVNDATIONE ECCLESIAE in Prusfinnge.

VI.



ENRICVS etenim quintus eiusdem nominis Imperator RATISPONÆ curiã solemnem indixerat regni principibus vniuersis, & misit scriptum suum hora curiæ memoratæ, conuocatis dicere vt venirent. Itaq; cum turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad Curiam Augustalem, affuit & venerabilis OTTO BABENBERGENSIS Antistes

stes, velut alter dictus, fidelis in omnibus, egrediens & regrediens, & pergens ad imperium dicti regis. Verum Ratisponæ non habens, ubi caput suum reclinare valeret ad commodum, quoniam domino disponente ciuitas ipsa repleta erat hominibus quasi bruce, domibus omnibus occupatis, memorabilis Pontifex turbulentiam turbæ tumultuosæ deuitans, vrbe relicta sibi ac suis elegit campi planiciæ, quem nunc muri loci huius includit. Hic igitur inter duas arbores nucû, quæ tunc ornauerunt faciæ campi eiusdem tentorium Sancti Præsulis figebatur. De quibus nimirum arboribus & longe antequam id quod nunc dicendum est eueniret, tinnitus & strepitus campanarum, visus est multociens sonuisse, quem in vicinia demorantes non sine stupore frequentius audierunt, qui vt re ipsa iam declaratur, futuram quandoq; ibi cultus diuini frequentiam utiq; portendebat. Quo in loco cum dies abscesserat, noctemque sol reduxerat iam occumbens, recumbens ibi vir Dei somnum oculis suis dedit, dormitione & palpebris temporis congruentem. Et ecce locutus est in visione sanctis suis antiquis, vt iuuenes quoq; nostri visiones videre per illum, & senes nostri somnia somniare demonstrarent, nouo Iacob Patriarchæ suo, insigni videlicet OTTONI, vt merito Israel nomen acciperet, ad imaginem & similitudinem somnij prisce Iacob, conforme omnino somnium reuelauit. Vidit etenim à lecto suo porrectam scalam caelosque summitate tangentem, in qua etiam Angeli ascensus suos atque descensus, amicis vicibus alternabant. Quo profecto dabatur intelligi, non defuturos in hoc loco quam plures qui ad proximum subleuandum cum Martha pia compassione descenderent & ascenderent cum Maria celsitudinem Domini contemplan-do. Vir itaque sanctus euigilans, & prudenter intelli-

gens quæ videre meruerat, nihil eorum obmisit spiritua-
liter, in fundatione, consummatione ac consecratione
complevere cœnobij, quæ prior ille Iacob in visionis suæ
loco peregit, domum hic Dei veraciter & portam cœli
quam plurimis construendo.

QVOD SANCTVS ERMI-
noldus factus est primus Abbas
Prüfinge.

VII.



ONASTERIO igitur hic fundato & consumma-
to secundum Dei quam intellexerat voluntatē,
virum vir sanctus idoneum æstuanti animo re-
quirebat, qui Christi familiæ colligendæ, in do-
mo quam sibi construxit in tempore suo posset tritici dare
mensuram, quiq; ut rei euentus, visioni congrueret, per
scalam religionis hic ascensuros, quiddecim graduum ver-
bo & exemplo posset docere mysteria, quique præuio a-
scensiones in corde suo disponente discernent pederēt
in valle lachrymarum loco quem posuit ipse fundator, do-
nec dante benedictione summo legislatore, euntes de
virtute ad virtutem, Deum Deorum in Syon videre per-
petuo mererentur. Cum igitur quæretetur inter dispensa-
tores, ut fidelis quis inueniretur, non est inuentus similis
illi, de quo nunc agitur, Beato videlicet ERMINOLDO, quē
dominus lucernam Christo suo parauerat, ut ardens & lu-
cens huius cœnobij ruditatem nouiciam & ob hoc cæcu-
sientem adhuc intellectu & affectu torpentem, & sancti-
tate conuersationis accenderet & exempli, & eruditionis
atque doctrinæ splendoribus illustraret. Huius itaque fa-
mam beatus OTTO comperiens, missis ad eum Abbatem
suum

Luc. 12.

Gen. 28.

Psalm. 83.

suam epistolis ab utrolibet impetrauit, ut recēs incultum-
que nouale colendum assumeret, & iam præexercitus a-
gricola, manum ad aratrum mitteret sulcatricem PRVFIN-
GENSIS cœnobij terram patrio visitaret aduentu & ine-
briaret sacræ institutionis irriguo, locupletaretq; multi-
plici germine meritorum.

QVAM SANCTE
vixerit in Ab-
batia.



ISSVS igitur de HIRSAVIA primus Abbas, VIII.
ad nutum domini nostrum distantis hono-
rem, Ecclesiæ nostræ præficitur, benedixitq;
nobis dominus ad introitum eius, in cuius v-

tique nomine benedictus aduenit, non sine discipulorum
atq; confratrum honorabili comitatu. Denique in su-
scepti regiminis culmen ascendens, speculatorem se do-
mini Israel meminit constitutum, ita pro animabus com-
missorum sibi peruigilans, tãquam redditurus pro eis do-
mum rationem, & iuxta dictum beati Iob, vere gallus ha-
bens intelligentiam subditos excitaturus ad bona, semet-
ipsum ala exercitij spiritualis primit^o excitauit: cauens uti-
que reprobis inueniri vel somnolentus, dum vigilandum
alijs prædicaret. Sane familiarissimum semper habebat in-
stare vigilijs, orationibus, & ieiunijs insudare, verbum
domini prædicare, frequentius regnum Dei & iusticiam
eius inquirere anhelanter, fugere gloriam temporale, que-
rere sempiternam. Proinde fidè dignissimi Seniores qui
vitam ipsius agnouerant, constantissime testabantur
nullam sibi septiformis spiritus gratiam defuisse, quod à
con-

Genes. 30.

Ezech. 3.

Iob 38.

Callat 6.

considerantibus conuersionem illius actusq; magnificos facilliter poterat deprehendi. Nam quantum sibi omnis gloria mundi viluerit, quantumq; sibi mundus fuerit crucifixus & ipse mundo, si nullo virtutum eius indicio alio monstraretur, eo solo diligentius aduertenti patefceret, quod ad mentis eius constantiam declarandam, quam aduersus sæculi tam blandicias quam terrores habebat hoc loco duximus subscribendum.

*QUALITER SE OPPOSUIT
Henrico Imperatori beatus Ermi-
noldus.*

IX.



ENRICVS aliquando Imperator cum propter excessus suos papalis excommunicationis sententiam incidisset, & tamen à religiosis ac magnis etiam prælatiſ eccleſiæ, imperatoriæ dignitatis intuitu, honor ſibi ac ſolita reuerentia deferretur, ob fundatoris noſtri præmemorati, quem non modicè diligebat, honorem pariter & amorem cum ipſo fundatore grandem ſibi demonſtraturus affectum ad nouellam eius Eccleſiam viſitandam cum nobilium & magnorum pompa multiplici, ſicut mos eſt regius, aduentabat. Iamque beatus ERMINOLDVS pater videlicet Monasterij, tam propter Imperatoriæ celsitudinis claritatem, quam propter concomitantis cum eo & inuitantis reuerentiam fundatoris, cum compulſationibus campanarum, fratrumq; proceſſione canora & reliquiarum ac vexillorum multiplici apparatu, longe inſuper extra ſepta cœnobij excepturus, Cæſarem credebatur, ſed ſeruus Dei talium ſe favori

dissimilem demonstrabat. Nō enim cogitationes suæ cogitationes eorum, neq; viæ suæ viæ illorum qui consuunt ^{Ezech. 13.} puluillos sub omni cubito manus & precij parietem liniūt, adulando, & propter hoc in regum domibus mollibus vestiuntur. Cæterum iste non vt arundo, nec terroris, nec ^{Marth. 11.} fauoris vento quolibet agitata, sed vt columna immobilis nec metu impellebatur, nec inclinabatur gratia qualicumque vt ei vel occurfu solenni, vel blandicia salutationis applauderet, quem per sententiam Apostolicam communionē nouit Ecclesiastica tunc priuatum. Proinde cum aduentum Imperatoris per prænuncios comperisset, omnia Monasterij ostia oblerari præcepit, ne vel Augusto, eiusue Comitibus vlla introeundi via pateret, firmiter prohibēs & districte, ne quis egrederetur ad salutationem sibi exceptionis aliquam reuerentiam exhibendam. Ipse verò Imperatore adueniente ad eum ante claustrum septa procedens, ne vel ex fastu aliquo vel contemptu hoc agere crederetur eo in salutato, libenter, inquit, & officio salutandi, & exceptionis congrua reuerentia, honorem tibi impenderem, regem Imperator, si te communionē priuatum Apostolicæ sedis autoritate nescirem. At Imperator ratus, eum hæc non iusticiæ Zelo, sed ex cordis odio vel rancore proferre, tanquam offensum pro eo, quod quondam ab eius fratre munera recepisset, propter quæ *LORSACENSEM* resignauerat Abbaciam, Nimis, ait, inconsulte ac præcipitanter, honore vos tanto priuastis. Cui suspicioni Dei seruus occurrens, columbina, vt erat simplicitate respondit: Nouit *DEVS* omnipotens corda scrutans & renes, non me huius, si dici posset iniuriæ memorem vel vltorem, sed me fecisse hæc & dixisse, iusticiæ defendendæ intuitu & pro Papalis obseruatione mandati. At venerabilis *OTTO* Episcopus medium se vtrilibet interpo-

interponēs, Neminē, ait, deuitare debem⁹ & tenemur, de
 cui⁹ nobis excommunicatione nō contat. Quo cōtra vir
 Dei, fortitudinis quo plenus erat spiritu roborat⁹, nec gra-
 tię fundatoris, nec Imperatorię deferēs maiestatis, quin ve-
 ritatem liberē testaretur, Non possum, inquit, sententiam
 ignorare, quam ore meo memini promulgatam. Talia
 perstabat memorans fixusq; manebat, à iusticię suę pro-
 posito non recedens. Quid quęso in facto hoc sanctus
 iste minus fecisse videtur, ab his qui magis obediendum
 Deo quam hominibus principibus Sacerdotum in causa
 simili responderunt? Quid Apostolo Paulo, qui in casu
 fermē eodem, ipsi se Cephę restitisse in faciem gloriatur.
 Quid postremo AMBROSIO præinsigni, qui Theodosio
 insigni Imperatori similiter Ecclesię interdixit ingressum,
 donec pro commissis sceleribus pœnitentiam ab eo susci-
 peret & compleret? Sed enim si ad antiquiora recurri-
 mus, numquid cum comparare non possumus Samuēli,
 nunquid non Nathan, nunquid non Heliseo, Prophetisq;
 quam plurimis? qui Regibus temporis sui videlicet pecca-
 ta sua coram improperantes, vel ad pœnitentiam eos sa-
 lutarem prouocauerunt, vel diuinam eis interminati sunt
 terribiliter ultionem. Nimirum & Imperator in spiritu
 & virtute Helię, ista fecisse beatum virum considerans,
 reuerenter cum suis abcessit, non contemptę maiestatis,
 vt suorum aliqui voluissent, vltus iniuriam, quod & in
 summo pontifice ipsum iam fecisse viderant, sed homi-
 nis Dei compertam deinceps semper amplius venerans
 sanctitatem, quàm si caninę adulationis cauda sibi
 cum cæteris alluisset. quod faciliè per sub-
 scripta poterit perpendi.

Act. 5.

Galat. 2.

QVOD

QVOD IMPERATOR PRO
hibuit milites suos ne laderent fra-
tres S. Erminoldi.

DENIQ; cum non multo post, idem Princeps
transitum faceret ante Cœnobium cum mul-
titudine militari, fratres ad opera manuum,
iuxta morem hortum fortè intrauerunt, quem vilis tunc
sepes ambiuit. Milites igitur qui præbant, & qui seque-
bantur Imperatorem, cum fratres in horto viderent, arbi-
trati principem memorem sui cōtemptus, sibi quæ placere
volentes, Ecce, inquit, cucullati, qui Dominum no-
strum temere despexerunt, nec imperialem sibi dignati
sunt exhibere reuerentiam, ipsum insuper suis foribus
præsumserunt excludere cum contemptu. Dent ergo
pœnas obproprij & proteruiæ quas merentur, luant ausus
enormes, non ferant impunè spreuisse Cæsareum Diade-
ma. Et milites quidem hæc dixerunt, & inualescebant
voces eorum, odio quæ pastoris, dentes lupinos in eius oui-
culas acuebant. Iam quæ iam quæ insultum facturi in pusillum
gregem Domini videbantur, sed euenit aliter quam pu-
tabant. Nam exijt edictum à Cæsare non speratum, ne
fratres videlicet illius omnino præsumeret molestare, vel
verbo turbare vel facto. Sane non reliquit hominem no-
cere eis, & corripuit pro eis milites Imperator, contra
quos incitaturus exercitum credebatur. Hic significante
Spiritu sancto & demonstrante, quod meritum beati
ERMINOLDI absentes & filios defensaret, quomodo etsi
corpore absens, tamen spiritu præsens erat, Numquid igi-
tur non Dominus magnificauit eum in timore inimicorū,
& in verbis suis mōstra placauit, cuius absentia etiā merita

V v v a

ipse

X.

IX.

ipse Princeps intelligens, propriæ despectionis oblitus, ea coram militibus attollebat. Nolite, ait, tangere Fratres istos, & in eis nolite vllatenus malignari; noui enim cuius Abbas eorum dignitatis sit coram Deo, noui cuius sit sanctitatis, qui & si mihi non detulit Zelo iustitiæ, plurimum tamen eius confido me sanctis orationibus adiuuandum. Nimirum prudens Augustus prudenter aduerterat, honorem Imperialem sibi non timoris alicuius fastu à sancto viro fuisse negatum, sed magis in eo humilitatem obedientiæ mirabatur, qua maluit Apostolico subditus inueniri præcepto, quàm cæsareum adulâdo venari fauorem. Deniq; vt appareat, quoniam non ex typho superbiæ, sed ex zelo iustitiæ Principem Romanorum Monasterij septis exclusit, nunc qua humilitate & beneuolentia inferiores multo personas non solum exceperit, sed insuper inuitauit, sibi licet & suis aduersantes, duximus adnectendum, vt aduerratur, quod altissimum mundi caput quod honorâdi etiam Monasterij venit, intuitu non despectos, qui se suosque insuper molestare consueuerant, ad refectiois solatium inuitauit submissus & supplex quod in his quæ subijcimus apparebit.

QVOMODO FRATRES

S. Emmerammi pietate deuicit.

XI.



TENIM Fratres sancti Emmerammi nos aliquâdiu in principio crebris inimicitijs & insidijs fatigabant, impedimenta profectui nostro quæ poterant obtendentes. Cumq; de die in diem eorum contra nos odium ingrauesceret, ad hoc vsq; deuenit

uenit, vt per operarios suos ante portas clauſtri facto foſſato, exitus noſtros anguſtiores facere molirentur; & cum nullo eis in talibus obſiſtente, huic operi diligenter inſtarent, venerabilis ERMINOLDVS vt labores eorum videret, egrediebatur foras, inſtante iam hora refectionis pacifice illos atq; benigne ſalutans, & cum laſſos fatigatosque videret, tam internæ mentis eorum labori, quam corporis externo ſudori compaciens, ad prandendum eos obnixius inuitauit, inductoſq; reſecit hilariter & benigne, tantam illis impendens humanitatem, vt magis ex charitatis ſaginarentur affectu, quam in epulis quæ dabantur. Vnde factum eſt vt dimiſſi ſecum mutuo loquerentur, tam Fratrum qui eos miſerant deteſtantes inuidiam & rancorem, quam viri Dei ſuorumq; benignitatem & manſuetudinem, admirantes. Quid, quæſo, qui hæc lectituri eſtis, quid vobis videtur de iſto? cuius filius ſit? Nonne illius cuius vnigenitus in ſubſtantia noſtræ mortalitatis apparuit, Fratresq; quos dignatus eſt adoptare per gratiam, ſpiritu eius adoptionis inſuſo, in quo clamarent, Abba Rom. 8. Pater, inſtruxit, dicens, Diligite inimicos veſtros & benefacite hiſ qui vos odiunt. Et quid ex hoc conſequenter adiungens, Vt ſitis, inquit, filij Patris veſtri cœleſtis, qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit lupus iuſtos & iniuſtos. Nec inefficax fuit opus hic claritatis aut ſterile, ſed in iſtis quibus impendebatur, ſicut ſemen cadens in terram bonam, fructum peperit ſalutarem. Nam conſilio inuito, regerentes in locum ſuum terram quam egeſſerant, abierunt, nihil incommodi nobis vltius ingerentes. Sic igitur, ſic ſecundum Pauli doctrinam vir Dei vinci volens à malo, vicit in bono malum, inimicum cibans & potans, & per hoc ſuper caput eius car- Rom. 12. bones congerens charitatis. Certe videmus hic virum Dei

Reg. 6.

non imparem Heliseo, qui Syros ad se capiendum hostiliter venientes Samariam introductos, amice, ne necarentur eripiens, cibo insuper refectos ac potu, ipsos domino suo remisit. Idem finis secutus est vtrobiq; Nam illi terram Israel vltro non addiderunt intrare, & isti molestare deinceps nos cessarunt; nisi quod Syros stupor timorque cohibuit; istos vero deuicit benignitas charitatis. Diximus qua constantia & virtute mundi spreuit dignitates oblatas, qua illa tas iniurias patientia tulerit aut deuicerit mansuetudine; superest, vt qua indigentibus proximis liberalitate collata sibi à Deo cum communicauerit, quamq; in his contra deficienti timorem in domino confidentiam semper habuerit, ostendamus.

DE MISERICORDIA Beati Erminoldi erga pau- peres.

XII.



VRAM quidem sollicitam ac prouisionem receptionemq; peregrinorum ac pauperum, inter virtutes cæteras, quibus claruit homo Dei, quasi spiritus sui sponsam elegerat specialem, propter quod & in exercitij eius solebat amplexibus singulariter delectari, adeo quod egeni & pauperes ipso iam vsu in necessitatibus suis cum omni ad eum securitate, tanquam ad debitorem quandam accedere præsumebant, & quibus egebant, tanquam à quodam œconomo suo fiducialiter postulare. Nouerat etenim, quod exemplo Apostoli, cum esset liber ex omnibus, omnium seruum se fecerat indigorum. Deus igitur famulum suum tentare cõstituens, imo miserationis inolitæ sibi virtutem omnibus decla-

declarare, vocauit famem super terram, omne firmamentum panis contriuit in tota **BAVARIA**, ita vt plurimi propter inedia pauperes interirent. Ad Erminoldum igitur ex more concurritur, referantur cellaria, promptuaria patefiunt, distribuuntur pauperibus vniuersa. Non enim prius pater sanctus in erogando defecit, quoad deficeret, vnde iam posset aliquid erogare. Exhaustis siquidem omnibus officinis, ipse coepit egere, qui super egenum & pauperem intellexerit. Venerunt namque ministri qui dixerunt, omnia claustrum granaria vacuata, nec iam frumenta ad vnicum & prandium fratribus superesse. Quid ergo vir Dei nunc faciat anxius? Recurrat ad horrea? sed vacabant: emat in foro? sed precium emptio- nis in caelestes thesauros, manus pauperum deportauerat. Ad Deum ergo conuertitur, & tanquam factus in agonia prolixius orabat ad eum qui dat omnibus affluenter. Veri autem adoratoris adorantis patrem in spiritu & veritate oratio erat huiusmodi: Domine per naturam, per gratiam vero Pater, saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc tantae necessitatis, vt fratrum meorum oculi omnium in te sperent, & tu des illis escam illorum in tempore oportuno, quorum propter te victualia sunt expensa. tu itaque redde quod debes, debes siquidem dantibus, qui dixisti, Date & dabitur vobis. Huiusmodi quidem ad Dominum. Porro ad beatum **GEORGIVM** patronum Ecclesiae secundum, simile erat huic quod orabat: Beatissime Martyr ecce praecipis salutaribus monitus, & diuina institutione formatus & iussu, dispersi, dedi pauperibus quae habebam, qui Deo tibi que in hoc loco deserunt, nec habent iam quod manducant, & si dimisero eos ieiunos, & non fuerint sa-

Psalm. 104.

Psalm. 49.

Iacob. 1.
Ioan. 4.Oratio ad S.
Georgium.

sa-

4. Reg. 7.

saturati, & murmurabunt aduersum me, calices & vestes & libros & alia ornamenta distrahere pro victu compellor, tu ergo subueni, tu succurre, tibi enim reuelauī causam meam atque necessitatem. Huiusmodi famuli sui clamores Dominus exaudiuit, beati GEORGII, quem mediatorē elegerat, interuentu, nec eum distulit consolari. Nam statim in crastino nobilis quidam & diues, cuius dominus cor tetigerat, superuenit, & honorans Dominum de sua substantia, fratrum suppleuit inopiam copiosè, ita ut noui cuiusdam meritis Helisei, pristina fames in Prúfingen tanquam in porta Samariæ pelleretur. Adhuc excellentiorem viam ostendendæ sanctitatis ipsius duximus demonstrandam, quibusdam forsitan incredibilem, sed compertam crebra relatione fide dignissimi senioris, qui tanti miraculi testis & conscius fieri meruit & Symmista

QVOD INVENTVS EST IN
Monasterio clausis ianuis.

XIII.

DE quadam cum ante ianuas staret Ecclesiæ Pater sanctus, & fores essent clausæ, custode Monasterij stante cum illo, cuiusdam necessitatis euentu, Ecclesiam ipsam, Dei seruus intrare volebat. Cumque custos propero cursu circueiens, aperire Abbati Ecclesiam properaret, inuenit eum, mirabile dictu, quem foris reliquerat, introrsus ante altare sanctæ CRUCIS intente orantem in ipso loco, vbi nunc eius venerabile est sepulchrum, ianuis tamen Ecclesiæ non apertis. Cumque custos insolita nouitate miraculi staret attonitus & stupefactus, tantæ rei euentum apud se miraretur, surgens oratione completa vir Dei, custodi sub districtæ
con-

contestationis interminatione præcepit, ne ante ipsius exitum de hac vita, alicui hominum, id quod viderat reuelaret. Quid ergo dicemus ad hæc nisi quod famulum hunc fidelem in Domino & Dominum in electo famulo suo, laudare, benedicere, & prædicare non desinamus, qui quod in se ipso post resurrectionem suam discipulis suis ostendit, ostendit in seruo similiter, antequam & à corpore eius nexibus solueretur. Nihilominus istalegentes aduertant, in quam solidæ humilitatis terra donum mentis suæ vir ille fundauerat, qui omnem statum fauoris humani, ventumque popularis auræ, tanta cautela & studio deuinit. Ecce iam præcursoris nostri, qui exultauit ut gigas ad currendam viam cœlestium mandatorum, passus industrios & veloces, pro tarditate nostra pigris calami gressibus subsequendo prorepsimus, quantumcunque in odore vnguentorum eius admodum delectati, & post eum lætanter currere gestientes, sed ecce vbi est vestigio Heliam nostrum cum Heliseo consequimur, tristes metas attingimus, iam Baal Pharisim quod sonat, virorum diuisio è vicino nos terret, inter fratres diuidens & Abbatem, inter pastorem & Agnos, inter discipulum & magistrum.

DE TRANSITV BEATI ERMINOLDI.

RESTAT verò transitum eius de hoc mundo ad patrem, & eius occasiones tristissimas exequamur, tristes, inquam, non sibi sed nobis, non sibi qui semper cupiebat dissolui, & esse cum Christo, sed nobis quibus in carne vultuiter permanisset, propter hoc salus hinc refugit, manus trepidat & terretur calamus ipse percellitur & formidat. Sed enim velimus nolimus, eun-

XIV.

X x x dum

2. Timoth. 3.

dum est, cincti & astricti necessitate narrandi, ducimur quod nollemus. Ergo quod superest inuiti & prosequamur. Quia igitur omnes qui voluit pie in Christo viuere, persecutionem, secundum Apostolum, patiuntur, sanctus pater iste quia a via iusticie flecti non potuit, nec potuit consequenter odia non incidere ministrorum. Non enim potest diem vespertilio non horrere, non potest nec fugere lucem talpa, non potest solis aspiciere noctua claritatem. Denique cum sanctus hic pater comissi regiminis cura constrictus, sollicitus super custodiam suam stare & vigilias noctis huius sedulo super gregem suum satageret obseruare, ut nihilominus relinqueret incorrectum,

Iob. 2.

quod contra monasticæ religionis feret instituta, licet tanquam pater spiritualis, vere in spiritu lenitatis corripere delinquentes, filij tamen Behai, qui cum Sathan inter Dei filios nunquam desunt, videntes & invidentes a suis se voluptatibus coerceri, nec sibi licere quæ licere volebant, crudelibus insectari cœperunt odij se amantem. In tantumque diatim vesanix prorumpabant, quod & captabant, in animam iusti sanguinem innocentem condemnantes, effundere decreuerunt, & iam malitia ingrauescente, cultis acutis armati, diem mutuo statuentes, loci opportunitate captata, stabant in insidijs, cum dæmonibus in occultis, ut interficerent innocentem in loco quem sibi cœdixerant, quia inibi erat more solito transiturus. At quidam ista scientium Dei famulum præmuniuit, ne illo veniret, paratas sibi mortis insidias manifestas. Sed vir iustus tanquam Leo confidens, absque terrore permansit, & tanquam equus gloriæ Domini, qui eo testante exultat audacter, in occursum pergit armatis, paratus cum Domino, imò pro Domino & in carcerem & in mortem ire; hæc dicenti sibi respondit, Absit ut paratam impediam

Proverb. 30.

Proverb. 21.

tergi-

tergiuersando coronam : vadam potius accepturus pal-
 mam quam Dominus exhibet triumphalem. Quid queſo
 aliud erat hoc famulo dicere, quam quod Dominus ipse Ioan. 18.
 Petro iam dixerat, calicem quem dedit mihi Pater non Pſalm. 115.
 bibam illam? Erat hoc dicere cum Psalmista: Calicem
 salutaris, accipiam & nomē Domini inuocabo, gratias ſci-
 licet referens propinanti. Cæterum quia parum est dixiſ-
 ſe, niſi facere conſequatur, quod dixit & fecit, procedens
 ad locum vbi mortem fuerat excepturus, ſi Domino pla-
 cuiſſet, eius exemplo qui paſſurus turbæ proceſſit obuiam Matth. 26.
 ſe quærenti. Verum ſicut Dominum captiuare volentes
 occurrente ipſo conterriti abierunt retrorſum, & corruerunt
 in terram, donec ſe ipſe capi permiſit, ſic ſeruum Do-
 mini cupientes occidere, cum conſtantiam viri Dei viderent,
 irruit ſuper eos formido & pauor in magnitudine Exod. 15.
 brachij Domini, ſuum tunc pugilem protegentis. Illa
 igitur vice nemo in eum miſit manum, quia nondum ve-
 nerat hora eius, quam ille cuius providentia in ſui diſpo-
 ſitione non fallitur, in ſubditorum bonorum adhuc ſola-
 tium & ſalutem, & ad cumulatioſa famuli ſui merita, vſq;
 tempus quod voluit prorogabat.

**QVOMODO BEATVS ERMI-
 noldus obitus ſui tempus & horam
 prædixit.**

TAQVE cum teneret luſtus, vt ait Iob, XV.
 viam ſuam, nec iuſtificationem ſuam quam
 cepit tenere deſereret: nam & ſemita vitæ Iob 27.
 ſuæ quali lux ſplendens, iuxta ſapientis eloquium pro- Prouerb. 4.
 cedendo ad perfectum diem iam creuerat, tantæ lu-
 cis aſpectus filios tenebrarum offendit, grauiſque
 X x x z cis

eis erat, & ad videndum, qui magis quam lucem tenebras
 dilexerunt. Proinde cum tempus adesset quo dominus
 seruum suum decreuerat iam in pace dimittere, post
 pondus diei & æstus, mercedis æternæ denario præmian-
 dum, iam filij pestilentes, ac tanto patre proorsus indigni,
 lupaliter velut agni degeneres in Pastoris interitum con-
 spirabant. Igitur vnus talium campiductor infelix, no-
 mine quidem AARON, Absolon autem omine patris per-
 secutor, cum non vt Aaron Pontifex, sed cum esset carni-
 fex anni illius, diabolico exagitatus instinctu, locum ad
 quem vir Dei venire necesse habebat, diligentius obser-
 uabat, ligneum vectem vtraq; manu vibratum, viribus to-
 tis insurgens, capiti venientis illisit, tanto annifu percu-
 tiens sacrum caput, vt ad terram mox seruus domini ster-
 neretur. Eo igitur instrumento mortis & genere, quo fra-
 ter domini est occisus occiditur, ne gloriæ illius extra-
 neus æstimetur aut exors, qui consors est passionis, quam-
 uis hic vt ille non statim obierit, vt in hac potissimum die
 gloriosius suæ mortis domino sacrificium immolaret, quo
 MAERI videlicet eidem tria munera mystica obtulerat.
 Deniq; si aduertas eadem dona nostrum ERMINOLDUM
 intelliges obtulisse, si peraurum quod inter metallâ mal-
 leo plus obedit obedientiam; in myrrha quæ carnem à
 corruptione conseruat & vermibus, castitatem; in thure
 quod vritur & crematur vt fragret, caritatis ardorem me-
 mineris designari, non sua propria, sed communia requi-
 rentis. Igitur vt in illam diem tunc se sacrificaturus do-
 mino seruaretur, istu vectis accepto tabescens, viribus
 corporis cœpit repente destitui, iamq; ante festum Epi-
 phaniæ lecto decubuit & in ipsius sacratissimi festi vigilia,
 fatiscentibus artubus aliquamdiu iacuit nihil loquens. Et
 post pusillum ad se reuersus, & eleuatis oculis in discipulos
 qui

qui astabant, hilari eos aspexit intuitu, sed affatu hilariori omnes qui aderat iocundauit. Etenim requisitus, ad thronum Dei testatus est se raptum fuisse caelestem, & verba bona, & promissa se sibi consolatoria percepisse. Latatus sum, inquit, in his quae dicta sunt mihi, nunquam videlicet defuturum diuinum obsequium in hoc loco. Addit & sibi librum vitae ostensum, fratrum nostrorum nomina mortuorum praesentium & futurorum ascripta literis aureis continentem: & hoc, ait, vobis signum, vt certum esse noveritis, id quod loquor, cras inter maioris Missae sollemniam cantante choro, Gloria in excelsis Deo, egrediar ex hoc mundo. Erat autem vigilia sicut diximus Epiphaniae. Caue te igitur, inquit, cum signum mei transitus audieritis, ne quis error aut negligentia huius occasione in diuino contingat officio, sed paucis egredientibus à ceteris cum omni deuotione sacra missarum sollemniam more solito peragatur. Vt igitur testimonia sua credibilia fierent, & sciremus quia verum est testimonium eius, sicut dixit, euenit. Nam in sancto Epiphaniarum die, hora qua dixerat, anima illa beata domum corpoream ac terrestrem, non manu factam in caelis acceptura reliquit, introiens in potentias domini sub hymno videlicet Angelorum, vt tibi perenniter inter Angelos, ipsum gloria in excelsis concinat & hymnifet. Transijt autem anno Domini M. C. XXI. septimo vero postquam de HIRSAVIGIA mense Augusto vocatus est, & ad PRVFVNGENSEM electus Ecclesiam, quarto vero postquam à venerabili VDALRICO Episcopo rogatu Reuerendi HARTVVICI Episcopi Ratisponensis Episcopi ordinatus est sollemniter in Abbatem. Quis enim quæso non videat, ideo transitum eius ad eum diem fuisse translatum, quia dominus sacrificia Magorum accepit, & intercurrentibus annis aliquot caelos super se baptizatum voluit aperiri,

& in cœna aquam conuertit in vinum ad nuptias, vt liquido monstraretur, quod die eodem ERMINOLDVS noster domum cœlestem introiuit in holocaustis, & cœli qui regi patuerant, militi & ipso die patere deberent, & quod molestiarum aquæ præsentium inter conuiuas æthereos, in vinum sibi essent æterni gaudij conuertendę. Quis cum præterea purpurata rosaria martyrum introisse non credat? cum & iustitiæ suæ causâ mortis extiterit, propter quam persecutionem passus est occisoris, & in morte seruauerit patientiam, nihil durum interminâs imprecansq; hœtori, & cum postremo tantæ conscientię fuerit in eo sanctitas, vt moriturum se præsciens & prophetans de diuino curaerit magis officio quam de suis exequijs ordinare.

ERMINOLDE ergo Abba Pater, memor esto congregationis tuæ quam possedisti ab initio isto suæ foundationis, & inquam felicem cursum præsentis stadij consummasti, æternæ gloriæ præmium apprehendens. Ideoq; suppliciter exoramus vt gregem tuum pastor bone non deseras, sed apud beatos ciues tuos continua protectione custodias tuas oves, quas primus opilio pascendas à domino suscepisti, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Duo tamen miracula annectimus quæ post eius obitum contigerunt. Vnum quidem quod vnum de nostris, alterum quod alterius cœnobij fratri cuidam euenit, vt non solum à suis hic Pater, sed & ab eis qui foris sunt testimonium habeat sanctitatis, & primum quidem de nostro duximus ordiendum.

VISIO CVIVSDAM FRATRIS POST
obitum eius.

XVI.



RAT apud nos Monachus quidam provec-
tæ quidē ætatis sed miræ sanctitatis & simplicitatis
in vita sua. hic cum vocandus à domino lecto
decum-


decumbēs ad exitum propinquaret, à deputato sibi ministro, si adesset aliquis, inquisiuit, erat autem Sabbathum, hora qua sonitu tabulæ ad mandatum Fratres more solito conuocātur. Audiens ergo nullum esse præsentem, *Ecce*, inquit, video cælos apertos, & beatum patrem nostrum venerabilem *ERMINOLDVM* videlicet, assistentem in maxima gloria coram Deo, quod vt verum esse non dubitetur in testimonium veritatis, iam spiritum exhalabo. Quo dicto, morte intercedente, & sermonem confirmanste quod dixerat, protinus comprobauit.

ALIA VISIO CVIVSDAM FRATRIS.

ACCEDAT & alius testis, qui de remotis partibus venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine meritorum venerabilis *ERMINOLDI*. Frater quidam ex nostris, quodam vindemiæ tempore missus in *AUSTRIAM*, claustrum q̄ *KOTVYK* dicitur, hospes intrauit, hospite quodā alio de claustro dicto *GÄRSTEN*, casualiter cointrante. Igitur hora refectionis, cum veniretur ad mensam, hospes hospiti ad vesendum pariter est adiunctus. Et cœna facta cum fabularentur, & secum quærerent de diuersis, vt fieri assolet, *GÄRSTENSIS* ille à fratre nostro diligentius inquisiuit, si aliquando habuissē Abbatem, cui nomen fuerit *ERMINOLDVS*, & audito quod sic, & q̄ insuper apud nos fuerit primus Abbas, ille sic orsus est: Quāuis, inquit, nullā omnino notitiam vel vitæ vel nominis eius prius habuerim, nup̄ tamen in veritate comperi, quia non est parui aut mediocris, sed maximi meriti coram Deo. Nam ex fluxu sanguinis mire vexatus, nimia nuper infirmitate & ægritudine laboraui, adeo vt de vita etiam desperarem. Cumq; sanctorum quam plurimum pro euasione periculi postularem
auxi-

XVII.

auxilia ex nimia mihi debilitate somnus obrepfit. Et ecce rapi ad tribunal Christi me video, & pro culpis & negligentijs meis dura satis animaduersione percelli vbidum animas plurimas, pro diuersitate & exigentia meritorum vel condemnari à iudice video, vel saluari; oblatuse est ei vnus Ordinis sancti BENEDICTI frater, vt videbat, damnationisq; in eum iam iamq; debebat fieri sententia: sed retractata est, & remissa clementer, sancti nescio cuius magni, quem quidem videbam, sed non agnoscebam obtentu, inter cætera pro damnando taliter allegantis: Licet, ait, Domine, frater hic vitam suam satis exegerit negligenter, irremuneratum tamē tua pietas non relinquat, quod nunquam locum suæ professionis deseruit nec transgressus est finaliter obedientiæ suæ votum. Sancto ista fiducialiter prosequente, animam rei iudex absolui decreuit, orantis pro ea meritis complacatus. Quem cum optarem scire quis esset, ecce vnus astantium iudici ipsum venerabilem ERMINOLDVM PRUFENINGENSEM Abbatem esse mihi protinus intimauit. Hisq; peractis euigilo, mecumq; retractans ea quæ videram, statim omnibus quidem omissis, illius potissimum inuocare cœpi suffragia, cuius indubitaram expertus fuerā sanctitatem. Quod cum per officium Missæ facere decreuissem, sed debilitas vocis obstaret, continuò mihi tantas vires sensi collatas, quod sacris indutus, Missam quæ de vno Confessore dici consuevit, à fine vsque ad finem perfecti. Qua completa pristinae sanitati sum integraliter restitutus. Hæc frater de AVSTRIA rediens, dum nobis sæpius retulisset, superueniens, ille GARSTENSIS, cui res ipsa contigerat, sepulchro viri Dei deuotissime visitato fratris nostri narrationem personaliter confirmauit, qui & ipse in GARSTEN postmodum factus Abbas solebat, superuenientibus huc uentum frequentius enarrare.



INCIPIT SE CVNDA PARS.

De miraculis eius.

IN his duobus mandatis officio ca-
lam quomodo in eis reuelationes & vision
es Domini continetur, religiosi viri non
diu post felicem transitum sancti Patris osten-
sa, ac per hoc quodam iure propinquitatis
ad precedentia pertinebant, scientes quia hora est iam
nos terminare sermonem, huic libellulo finem dantes, iu-
go boues absoluius lassatos. Porro vnum est necessari-
um, vt videmus. Quomodo enim ipsius libelli distinctio
bipartita est, prima quidem eius particula, peregrinatio-
nem Hebraei nostri apud Aegyptios huius mundi seu Babylo-
nios continente, secunda vero in exitu Israel de Aegypto
praesentis saeculi, & ingressu terrae verae promissionis expli-
cita, consequenter succurrendum & consulendum eor-
um opinioni existimamus, imo dubitationi eorum &
diffidentiae potius occurrendum, quibus vitae laudabilis
claritas, quibus preciosa in conspectu Domini mors San-
ctorum eius ostensa non sufficit, sed nisi cum Thoma mi-
racula tangant aut palpent, & nisi signa videant & prodi-
gia, non credentes eum regulo iudicant. Vt itaque tales
habentes tantam nubem testium interpositam, ad creden-
dum vel ipsius operibus imitentur, vel potius compellan-
tur ad

I.

eur ad virtutes & signa quibus mirificauit Dominus sanctum suum, etiam postquam de hac vita transiuit, hodieque mirificat, transeamus à fine libri prioris, sequentis initium facientes, de ipsius tractaturi miraculis in libro secundo, de cuius in primo vita & transitu. In principio erat verbum. Igitur cum iam Domino complaceret, vt tristitia nostra verteretur in gaudium, vt scientes eum cælo viuere lætaremur, quem defunctum sæculo lugebamus, manifestauit se iterum Iesus ipsum Angelorum fecisse consortium quem ablatum humano dolebamus esse consortio. Manifestauit autem sic.

DE SVAVITATE ET SVAVI
odore sepulchri eius.

II.

HONESTA quædam mater familias CHRISTINA vocabulo, cum matre sua BERTHA nomine Deo valde deuota, de ciuitate RATISPONA PRUFENINGEN Fratrem suum visitatura accessit. Cumque die iam inclinato vehiculo domum reuerti pararent, mater quasi valesactura Sanctis, præ foribus monasterij, quia clausum erat, orare cœpit attentius, & subito miri odoris perfusa est suauitate, quem cum tacite miraretur, Ecclesiam aperiri percipit & obtinuit & intrauit, sensitque fragrantiam illam de sancti viri spirare sepulchro. Diuinæ igitur gratiæ non ingrata, regratians, votum vouit Deo Iacob, quod famuli sui sepulchrum ERMINOLDI, de cuius meritis certiorari meruerat, per circulum anni totius, nudis pedibus visitaret. Quod & impleuit, nunquam hæc vel pro viæ profunditate vel madoribus pluuiarum niuiumue rigoribus intermittens. Et hæc vidua erat & turba ciuitatis multa cum illa, ipsius exemplo, quoniam erat ex honestioribus ciuitatis, cœpit viri Dei memoriam frequen-

frequentare & illius auxilium in quibuscunq; necessitati-
bus efficaciter experiri. Hoc initium signorum fecit Iesus,
coram discipulis serui sui fidelibus, & manifestauit gloriam
suam & dignitatem quam iam accepit in cœlis, qui terre-
næ dignitatis gloriam non quæsiuit. Et congruè satis à
suauis odore incipere debuit sua glorificatio, qui se ipsum
Deo in odorem obtulit suauitatis, vt apte fracto alabastro
sui sanctissimi corporis, meritorum ipsius & famæ dulcis
estunderetur unguentum, ex cuius odore domus Eccle-
siæ redundantius impleretur. Illud autem inter signa
quam plurima, Dominus sancto suo quasi priuilegium
speciale concessit, quod pueri ægrotantes, ad eius, vt fieri
solet ponderati sepulchrum, vel continuò eius meritis
cõualescunt, aut ab ægritudinis diuturnitate mortis com-
pendio protinus absoluuntur.

*DE ARCHIEPISCOPO MO-
guntino, qui voti sui compos effe-
ctus est.*

HOC etiam cum pię memorię dominus CHVN-
RADVS MOGUNTINVS Archiepiscopus famæ
pregonio comperisset, cum diutina laboraret
infirmate, quam ex aere inconsueto in terra sancta con-
traxerat, nec quicquam sibi conferret experientia medi-
corum, ad sepulchrum viri cum marca argenti se ponde-
rans, cum clamore valido & lachrymis, exauditus est pro
sua forma petitionis. Postulauerat etenim vt à diuturni-
tate languoris vel cita euasione, vel beneficio saltem mor-
tis absolueretur. Qui mox antequam sedem suam attin-
geret, morte intercedēte obtinuit, quod petiuit beati me-
ritis *ERMINOLDI*.

III.

Yyy

DE

IV.



IR quidam re pauper, & luminis orbitate pauperior, deuotionis tamen & fidei copijs opulentus Prüuingen viri Dei beneficia petiturus ingreditur, & à pluribus, qui de villa vicina venerant, & ante fores stabant Ecclesiæ, ostenso sibi in Ecclesia sancti sepulchro, pueri se ducentis manu circa altare locatus est, vt petiuit, egressoq; ductore, gressum baculo suo prætentans, ad sepulchrum deuotus accessit, & humi prostratus postulauit in fide nihil hæsitans, vt lumen recipere mereretur. Moxq; se sentiens exauditum, visum recepto egressus, ductori suo videre se dixit, & omnibus qui astabant, qui eum cæcum viderant introisse, ac sibi sepulchrum ostenderant, requirenti. Hos ergo vniuersos & testes suæ illuminationis habuit & præcones. Cumq; illuminato congratulantium vox eminus audiretur, nam ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant, ille Deum ac famuli sui merita collaudauit.

DE QVODA M CON-
uerso grauiter punito.

V.



RATER quidam ex his quos BARBATOS dicimus super veniens maligno spiritu stimulatus, & Dei gloriam non ferens, illum qui Dei ac famuli sui beneficia prædicabat, contumeliosis coepit obiurgationibus insectari, eum deceptorem ac mendacem appellans, & huiusmodi artificio venari elemosynas largiores. Quod ille libera voce refellens abiit & recessit. At ille Barbatus inueteratusq; dierum
ma-

malorum temerario ausu debacchās, facto flagello de virgibus, tribus ictibus tumbam Patris sancti proterue percussiens, ore sacrilego, Quiescas, inquit, tu ERMINOLDE, & nos inquietare desistas. Vix ista finierat, ecce Deus ultionum dominus, ultione condigna coercuit blasphemantem. Nam facies eius tanquam aqua feruenti perfusa cepit incredibiliter aestuare. Qui festinus egrediens de Ecclesia, ad suū cubiculum properabat, vt lecto decumbens alleuiationem aliquam expectaret. Erat autem magister opilionum. Quem vnus de famulis suis è vestigio sequebatur, qui quidem blasphemias suas audierat, diuinæ tamen nescius ultionis, blanda ipsū pro verbis suis admonitione corripuit, illo secundum similitudinem serpentis, & surdæ aspidis, nil penitus respondente, donec venerunt ad fontem iuxta, vbi iumenta monasterij ad aquari solebāt. De quo hausta sibi aqua per famulum, aestuantem faciem spe refrigerij manibus infundebat, sed vim virtutis suæ oblitus est aquæ liquor, vicemq; contrarij peragens elementi, vrebatur acius patientem. Itaq; lecto decubuit, ac inter flagella Pharaonizans, licet à pluribus, vt resipisceret moneretur, secundum duriciam suam, & impœnitens cor thesaurizauit sibi vindictam insuper ampliorem. Nam de die in diem, coreius erga domini Cōfessorem in sua duricia persistebat. Et quoniam apposuit adhuc peccare ei, & in iram concitauit excelsum, apposuit super eum Deus plagas horridiores. Nam percussus lepra terribili, ab hominibus est amotus. Et cum adhuc suaderetur vt pœniteret, declinauit cor suū in verba maliciæ ad excusandas excusationes videlicet in peccatis. Nam respondit, Se adeo non peccasse quod mala talia meruisset. In huiusmodi igitur blasphemia perseverans, cum præuaricator ad cor redire contemneret, factum est in vna dierum, vt per ministrū

apposita sibi mensa, & desuper pane & potu, minister ad cibos pergeret offerendos, quibus allatis, quem miserè viuum in obstinatione reliquerat, miserabilis in peccato suo mortuum reperit. Nam in arulam plenam carbonibus, quam gratia calefaciendi sibi habuit ante positam, facie prona ceciderat, & exspirauerat præambustus. In quo patenter apparet, quod qui cæco fideli fuerat odor vitæ in vitato, isti blasphemus factus est odor mortis in mortem, in resurrectionem positus & ruinam, hinc inde, cum diuersa vtrisque intulit stipendia meritorum, illum fideli deuotione illuminans, istum percutiens pro reatu. Et sicut tumulus viri Dei ter virgis cæsus est per proteruum, sic triplici plaga percussus est inimicus, ardore videlicet faciei, dehinc lepræ cõtagio, nouissimè verò morte pessima peccatorum. Cæterum descripto rigore iusticiæ, ad solatia misericordiæ reuertamur.

DE DEBILI CVRATO ET
muliere correctâ.

VI.

RADOLDVS nomine puer in Monasterio, tantum de auribus singulis noctibus sanguinauit, vt mane puluinar ipsius alicui animalis perfusum sanguine videretur. Qui cum esset ad tûbam viri Dei tertio ponderatus, illico restitutus est integræ sanitati. Inter hæc augebatur quottidie credentiû in Domino multitudo, patrocinia famuli sui requirens. Inter quos mulier quædam IERVTA nomine ad sepulchrû sancti nummo se ponderauit, quem cum in arcellam oblationum mittere debuisset, denario clam retento ad altare illum voluit obrulisse, sed dolû illico, vindicta consequebatur. Nam illi ita contracta est manus, vt nec eam extendere nec nummum excutere præualeret. Ad cor igitur re-
uerſa

uerſa flagello, redit ad archam denariū immiſſura, ſtatimq; miſericordia & veritas obuauerunt ſibi, nam manū quam dolus concluderat, veritas patefecit. Miſſo igitur nummo quo mitti debebat, gaudēs mulier alium obtulit ad alrare.

QVOD PRO TEMPORE

ceſſauit à ſignis.

QVM itaq; turba venerantium ſeruum Dei, diatim accreſceret, Monachus quidam **V**VOLF-**R**AMVS nomine, ſepulchri cuſtodix deputatus, ſuper illud ædificare propoſuit ædiculam cancellatā, p̄ quendā **B**ERCHTOLDVM nomine, carpētariū, qui homicidio perpetrato nondum **E**cceſiæ reconcilari meruerat, dictum opus incipiens conſumauit. Porro Dei famulus ſacrilegum in **E**cceſiam illius ingreſſum, & opera manuum cruentarum aſpernans, ſolita beneficia requirentes per annos aliquot deſtitit exaudire. Quod cum Fratres ſolertius perpendiſſent, ipſam ædiculam prudenti conſilio remouerunt. Sed non ſtatim finis, vt Dei ac ſui famuli dedignatio placaretur.

VII.

QVOMODO ITERVM CLA-

ruit ſignis & miraculis.

QUITVR quia non obliuiſcit miſereri, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, cū rogatur, aliquanto tēpore iam decurſo, anno **M. CC. vi.** ceſimo quarto **D**ominicæ incarnationis, ſtetit **P**hinees, & placuit, **B. ERM**OLDVS videlicet, vt auerteret iram eius, quem opus offenderat homicidæ. Quidam ergo **V**VALMANN^o nomine ciuis **R**atiſponenſis à quodam **R**YBER-

VIII.

RVBERTO qui fratrum vestibus præerat, sibi familiari, familiariter requisivit, cuius sepulchrum hoc esset, quod in medio Monasterij cerneretur. Et audito quod primi Abbatís esset istius loci, & quod idem fuisset vitæ sanctissimæ, quodque in carne adhuc & post mortem miraculis clarississet, & ab his destitisset ad horam, ex causa qua nesciret. Dictas VVALTMANNVS illi RVBERTO, scito, inquit, quod in breui Dominus iterum eius merita declarabit. Vidi enim in visione me cum multis intrasse hanc Basilicam ad orandum, & ecce à parte capitis tumuli, arbor, vt videbatur, aurea tantæ magnitudinis succrescebat, vt latitudo ramorum ipsius cunctam repletet Ecclesiam, & extra ianuam insuper se protendens. Quo profecto protendebatur, quia q̄ olim dixit Dominus Domino meo vnigenito suo Christo passo in carne, hoc famulo suo similiter, etsi non sicut vox huiusmodi dilapsa ad eum magnifica gloria, ipso tamen effectu esset in breui dicturus, Et clarificaui & iterum clarificabo. Clarificaui videlicet degentem in carne vita insigni, transitu glorioso de mundo migrantem, virtutibus & miraculis iam defunctum, & iterum clarificabo in nouissima tuba, inter omnes electos, interim vero sequentibus signis, quæ pro negligentia & reatu quorundam pro tempore cessauerunt. Quod & rerum euentus in proximo declarauit.

DE PVERO COECO ILLUMINATO.

SIQUIDEM paucis diebus elapsis, vespere Sabbathi, cum post officium vespertinum, processio ante altare sanctæ CRUCIS solito ageretur, quidã aderat inter multos, qui puerum cæcum in brachijs depor-

deportabat. Cui cum ianua clauderetur egresso THEODERICVS quidam Monachus ei obuians, & vidēs puerum esse cæcum, redire consuluit, & sancti suffragia postulare. Populo itaq; qui iam exierat redeūte cum puero, Deo ac famulo eius pro illuminatione pueruli à cunctis obnixius supplicatur. Et continuò Deus omnium exauditor, cæcos oculos claro lumine reuestiuit, suum glorificans Confessorem. Rogatus ergo pueri gerulus, apud nos aliquamdiù demorari, ob tanti miraculi testimonium recusauit, se quidem & puerum esse protestans, patre & matre carentes, & de GALLIA BELGICA oriundos ex territorio TREVERENSI, seq; puerum compassione fraterna ad diuersos Sanctos spe circumtulisse salutis, cuius subuentionem expertus nunc esset beati ERMINOLDI gloriæ reseruatam. Ideo, inquit, iam propter quempiam non tacebo, & propter aliquem non quiescam, donec ad solum natale regressus, annunciem huius sancti præconia circumquaq;.

DE PARALYTICA curata.

QUÆM mulier quædam iuuenula de ciuitate RATISPONENSI à parentibus matrimonio copulata, ita post breue tempus est dissoluta paralyti, vt loquendo vsus prorsus amitteret, oculo altero priuaretur, dentes haberet ad inuicem ita compressos, vt hora refectiois cultello vix soluerentur ad escam, manibus quoq; contracta & pedibus, miserabile sui spectaculum præbebat. Quæ more solito, ponderata iuxta sepulchrum viri Dei per suos, mox tam integraliter est sanata, vt quæ ab alijs deportari consueuerat, pedibus sanis accederet ad altare, & manibus ante contractis sacrificium

ZZZ offerret

offerret, & muto prius ore Missam, à Sacerdote deponeret celebrari, oculoq; recepto lætissime remearit ad propria cum amicis.

DE CONTRACTA CV-

rata.

XI.

SED cum gratias etiam postmodum Domino redditura, sepulchrum Sancti frequentius visitaret, puella quædam allata est, cuius manus contracta erat omnino. Quam manum cum mulier ante dicta tumulo confessoris imposuisset, astantibus fratribus & orantibus pro eadem puella, clamans, Ohi, integra sanitate recepta, in momento in ictu oculi manum ante contractam extendens, ouum quod casu in tumba iacebat, puerili more attraxit, iocunditatem & exultationem risumq; excutiens vniuersis.

DE QVODAM PVERO

curato.

XII.

ALIVS quidam puer, carne scæda in inferiori palpebra succrescente, turpem faciem præferbat. Quam carnem cum medici & chirurgici dicerent resecandam, amici maius periculum metuentes, consilio saniori, Deo & seruo eius deferendum puerum sponponderunt. cumq; mane iter arripere surrexissent, misericordia præuenerat iã fideles, carnemq; abstractam penitus inuenerunt; in patrata rei signum, sanguinea tantum macula remanente. Qui beneficio Domini nõ ingrati, votum deuotè soluentes ad tumbam sancti puerum adduxerunt, narrantes laudes Domini & virtutes eius fratribus vniuersis.

DB

LIBER II. 447
DE ALIO PVERO
curato.

RVER quidam cum continuo vomitu fatigatus esset, nil penitus alimonie retinebat. Qui ad tumbam sancti ponderatus à suis, sine mora plenam adeptus est sanitatem.

XIII

ALIUD MIRACVLVM.

QVÆDAM mulier horrendo ventris aded fuit inflata tumore, vt ab alijs, & à se ipsa grauida crederetur, paciens crebras, sicut solent, habentes in vtero, punctiones; verum solito prægnantium tempore deuoluto, cum se non esse grauidam comperisset, ad sancti yri Dei sepulchrum cum oblationibus & Dei laudibus se præsentans.

XIV.

Videatur aliquid decessi.

ALIUD MIRACVLVM.

QVÆDAM AGNES in sancti PAVLI MONASTERIO MONIALIS incredibili tussis incommodo fatigata, ad inuocationem famuli Dei sensit continuo liberatam. Quæ tempore alio morbo simili repetita, repetita oratione ad Dei seruum secundo mox curata est per eundem.

XV.

XVIX

DE QVODAM IUVENE

sanato.

IVVENIS quidam dictus VERIEVS de CVVREN dolore grauissimo capitis molestatus, ad sepulchrum sancti deuote se ponderans sine mora est redditus sanitati.

XVI.

DE MV.

Zzz 2

DE MULIERE PARALYTICA curata.

XVII.



MULIER quædam paupercula grauissima dissoluta paralyti per decem & octo hebdomadas, pro quantacunq; corporis sui necessitate, vel se mouere delecto vel surgere non valebat.

Quæ de viri sancti virtutibus concepta fiducia, quodam diluculo vestibus suis induitur in PRVVLINGEN asserens se ituram, quam cum scemina commanentes insanire præ infirmitate putarent, deduci ab eis ad ostium attente postulans impetrauit. Hæc inter tenentium manus sanctum obnixius obsecrauit, vt si vorum eius sibi placeret atq; deuotio, vires deambulandum sibi apud Dominum obtineret. Nec mora tanta celeritate, quas ductrices habuerat antecessit, vt primæ nouissimæ & prima nouissima in itinere viderentur & vix eam alię consequi preualerent.

ITEM DE QVADAM MULIERE sanata.

XVIII.



MULIER dicta ALHEIDIS, de villa vicina conobio, sic est percussa paralyti, vt ore retorto deformiter ad maxillam & vno oculo excecato, horrendam faciem circumferret. Hæc in vigilia Epiphaniæ, quædo in crastino anniuersarius Sancti peragitur, ad sepulchrû eius accedens, eius suffragia intensissime flagitauit. Itaq; mane regressa orauit eundem sermonem, & statim ore ad statum pristinum reformato, & oculo restituto, similiter plenam est adepta sanitatem.

DE

DE QVODAM FRENE-
tico curato.

VIDAM HARTVVICVS de CHEPEN ex nimio morbi feruore raptus in frenesim, de manibus se tenentium sæpe proripiens, currensq; per syluam, more lymphantium ferebatur. Qui adductus ad tumbam serui Dei per amicos, sancti ERMI-
NOI DI obrentu, post modicum integrè restitutus est so-
spitati.

XIX.

ALIVD MIRACV-
lum.

LIVS quidam LEYTVVINVS de villa eadem à graui nimis infirmitate iuxta idem sepulch-
rum, Sancti meritis continuo est sanatus.

XX.

DE MVLIERE QVADAM
contracta & sanata.

VLIER quædam pauperula gressu carens de loco ad locum scabellis se manualibus promo-
uebat. Hæc ad sepulchrum viri sancti deueniēs, ipsius auxilium inuocauit, & protinus consoli-
data sunt bases eius & plantæ, ita vt baculi sustentaculo
ad ambulandum sit contenta.

XXI.

ZZZ 3

ALI-

350 DE S. ERMINOL. PUVFENIN.
XXII. ALIUD MIRACU-
lum.

OCVS fratrum HENRICVS nomine, cognomi-
ne VVIRTH cum post febres acutas, tibi-
arum, oculorumq; dolore maximo laboraret, in die
Natalis domini summo diluculo, ad sancti viri
sepulchrum deuotius orans accessit & statim sanitate re-
cepta per illum, suscepit domini misericordiam in medio
templi sui, vbi famulus domini requiescit.

DE INFIRMO QVODAM
sanato.

XXIII. **P**ERCHTOLDVS quidam ciuis de RATISPO-
NA, cum de terra sancta reuerteretur, morbo ce-
pit grauissimo cruciari. Porro in partes veniens
ALIMANIE, auditis beati ERMINOLDI virtu-
tibus per diuersos, pro sanitate recipienda ipsum attentius
inuo-
cauit, in suae exauditionis indicium, antequam do-
mum suam intraret, postulans se curari. Quod fideliter
petijt efficaciter consecutus, recepta imo praecepta potius
integra sospitate domum reuersus est, vt petiuit.

DE QVADAM MVLIERE
curata.

XXIV. **I**VSDEM PERCHTOLDI filia filiã habebat ACN-
TAM, cuius pudenda morbus horrendus, qui
cancer dicitur occupauit. Anxia ergo mater pro
filia, ipsam ad tumulum viri Dei perduxit, eiusq;
inuo-
cato suffragio pro filiae sospitate, censum quinq; num-
morum se sibi promisit annis singulis oblaturam. Quo fa-
cto filia plene curata, materna deuotio cito se gratulata
est exauditam. DE

DE QVODAM PVERO

curato.

ALTERA quoq; filia eiusdem BERCHTOLDI, filiū parū habebat difficultate urinae graviter laborantem. Cumq; medicorum alij esse straguriam, alij vero calculum indicarent, cumq; oportere incidere testarentur, amici eius ponentes in Deo spem suam, Beati ERMINOLDI patrocinia requirentes, non sunt fraudati à desiderio suo. Nam puer adductus, ad sancti yri sepulchrum illico integraliter est sanatus.

XXV.

DE DOLORE OCULO-

rum curato.

ALIVS item civis RATISPONENSIS, OPERTVS nomine filiam quandam habebat RAPOTONIS vxorem, quæ oculorum dolore ferme cæcata, ducta ad viri Dei sepulchrum, cum decem nūmos in censu eidem promitteret annuatim, insperatam oculorum recepit protinus claritatem.

XXVI.

ITEM DE OCVLORVM

dolore fugato.

QUIDAM de ipsa etiam ciuitate HENRICVS qui VICEDOMINVS appellabatur, simili dolore laboras, ductu amici sui cuiusdam etiā HENRICI vocabulo, ad sepulchrum Patris Sancti deueniens, simili deuotionis affectu, effectū curationis simili ostendit.

XXVII.

DE

DE S. ERMINOL. PRUFENIN.
DE QVODAM DEBILI
curato.

XXVIII.



ILLIVS eiusdem HENRICI, filium quendam habebat, qui distortis pedibus difficili gradiebatur incessu, qui & ipse ERMINOLDI meritis est curatus.

ITEM DE DEBILI

curato.

XXIX.



LIO autem tempore idem HENRICVS. à Deo fluxu cœpit sanguinis infirmari, vt nullo medicamēto quicquam proficere se sentiret. Ad nota ergo sibi iam secundò Patris sancti suffragia se reuertens, iterum curari meruit per eundem dominum nostrum, famulo eius fideli manu contacto, cuius fimbriam olim tangens hæmorroïssa recipere meruit sanitatem. Hic iam tertio manifestauit se IESVS eidem HENRICO, in sui gloriam Confessoris.

DE DÆMONIACA

liberata.

XXX.



IN CASTRO NAPVRCH mulier quædam LEVKARDIS, cuidam iuueni matrimonialiter copulata, cum quadam die vitreis annulis more luderet puellari, maritus offensus eò quod necessaria negligens vanis intenderet, maligni spiritus ei imprecans incautus inuasionem, coniugi non cõiugaliter maledixit. Statimq; vt vel vanitas huius vel illius acerbi-

acerbitas nimia puniretur, Diabolus mulierem inuadens acerrimè cruciabat, & verba per eam blasphema & turpia proclamauit, accedentium culpas eis improprians & peccata. Cumq; sacerdotes super eam dicerent exorcismum, Vestra, inquit, Dæmon verba non curo, nec attendo plateramenta, repellendus **ERMINOLDO** reseruor, ille accipit reijciendi me potestatem. Et mirati sunt vniuersi qui aderant, & ipsi nil horum intellexerunt, eò quod nondum ad partes illas viri Dei præconia peruenissent. Et murmur multum erat de eo in populo, quem Dæmon diceret **ERMINOLDVM** & dicebant ad inuicem. Quid est hoc qd dicit nobis Dæmonium? nescimus quid loquatur. Cum itaq; crederet se illudi, affuit de **RATISBONA RVPERTVS** quidam, qui diceret se intelligere id quod Diabolus loquatur. Et incipiens interpretabatur illis qui aderant, verba quæ dixerat inimicus, beati **ERMINOLDI** vitam & sanctitatem, & miracula plurima manifestans. Ille est, ait Dæmon, ille est de quo loquor. Instructo ergo vehiculo mulier superposita in **PRÜFENIGEN** adducta est per amicos. Cumq; deuentum esset ad fores Ecclesiæ, illa reniti manibus cœpit & pedibus, sed vi deducentium & labore non modico, sepulchro est superposita viri Dei.

Vbi cum fratres dicerent exorcismos, & preces effunderent pro vexata, vix illa ne effugeret tenebatur. Cum subito Deo suum famulum honorante, mulier altius ingemiscens, Ach achq; proclamans quasi resoluta in somnum protinus conqueiuit. Cumq; ablata sepulchro in terra super plumarium reclinata fuisset, & an haberet melius, quæreretur, optimè sibi esse ac se liberatam esse respōdit, se nil penitus virium habere. Igitur amici cū illa tota nocte ad sancti tumulum excubantes, mane viam arripiunt reuertendi, & cum iter agerēt vocem huiusmodi Dæmonis

Aaaa

audie-

audierunt, Etsi ad te accedere non præsumo, à te tamen longius non recedam. Sana tamen mulier est domum reuecta. Nō multum temporis intercessit, & ecce amici fœminæ liberatæ, Deo gratias non agentes, obliti sunt beneficiorum eius, & mirabiliū eius, quæ ostendit eis in illa. Ideoq; quantæ culpæ ingratitude sit apud Dominum, meminere protinus experiri. Deniq; cum Dei ac sui famuli beneficia magnificare inter suos & laudibus dignis attollere teneretur, illi magis ea occultare ac tegere satagebāt. Cum ecce subito in patris sui conspectu, Dæmon reuertens, in domum suam vnde exiuit, nouissima hominis istius peiora prioribus faciens, per os eius cœpit horribiliter exclamare, Quæ vos occultare nitimini, ego faciam omnibus manifesta. Hoc dicto acrius eam cœpit quam antea cruciare. Igitur amici eius merita vltione confusi, vexatione dante, vt assolet, intellectum, ad cor redeunt sua ingratitude pœnitentes. Itaq; ad benefactoris sui refugientes auxilium, vt sui misereretur & patientis, negligentia ipsorum dignanter oblitus, humillimè postulabant. apud sepulchrum igitur viri Dei denuo pernoctantes, Domino sui famuli merita declarante, mane sanam eam & incolumem receperunt. Sicq; Dominum collaudantes, vt decuit, cum sana & læta latantes ad propria sunt reuersi.



DE MULIERE MONO-
cula curata.

Mulier quædam per octo annos oculo vno pro-
sus orbata, plena fide ad sepulchrum Confesso-
ris accessit. Quæ cum tota deuotione mentis
oraret, corâ omnib⁹ qui ad Annûciationis Dominicę festa
conuenerant, lumen ad reuelationem insignium merito-
rum & gloriam Christi famuli declarandam læta recipit,
turbam non modicam habens suæ testem illuminationis,
& Dei & eius famuli laudatricem. XXXI.

DE QVODAM PVERO DE-
bili curato.

In parascue quædam de RATISPONA mulier
puerum fere septennem adduxit, ad memori-
am viri sancti, distortos imò proorsus inuersos
pedes habentem, ac impotem habentem ac impotem
ambulare. Pro quo dum mater tota die vsque ad horam
prandendi precibus institisset, integræ puer est restitutus
sanitati, qui & in miraculi perpetrati memoriã de fra-
trum prandentium manibus sæpe postmodum panem &
cibos accipiens, domum derulit matri suæ. XXXII.

DE PVELLA PARVVLACVRATA.

ALI quædam mulier puellulam fermè quinq-
uagenem similiter pedes habentem inuersos, &
nunquam valentem aliquid ambulare, ad sancti
sepulchrum in vigilia Pentecostes apportauit. XXXIII.
Et ecce inter compulsandum ad vespertas, plurima tur-
ba præsentem, plantis eius ac pedibus ad rectitudinem
restitutis, vsu gradiedi recepit, iuxtaq; sepulchrû, primo

quidem pedetentim obambulabat, deinde vero diatima magis magisque proficiens integraliter est curata.

DE EPILEPTICA CV-
rata.

XXXIV.

HEROLDVS quidam ciuis de RATISBONA filiam habuit, quæ morbo epilepsiæ adeo vexabatur, vt quotidie bis vel ter elideretur ad terram. Pro qua dum parentes, per dies triginta continuos, ad sepulchrum sancti viri eam ponderare voluissent impleuissentque quod vouerāt, filia reddita est integræ sospitati, obuiantibus sibi Dei misericordia & vouentium & reddentium veritate. Qui & sancti beneficio respondentes, curatam eandem ob viri Dei sepulchrum, cum vna candela per annos singulos obtulerunt.

DE QVADAM MVLIERE
multum debili curata.

XXXV.

MVLIER quædam ALHAIDIS dicta de TVTEN-
VVACH, omnium destituta membrorum of-
ficijs, viro Dei ad censum nummi vnus
annis singulis se deuouit. Nec mora, quæ om-
nium membrorum vsu caruerat, omnium membrorum
gauisa est se vsui restitutam.

DE QVODAM VVLNERATO
sanato.

XXXVI.

DVO quidem Satellites simul erant ad pranden-
dum, & capta præda quando diuidunt spolia
tales, coeperunt mutuo corrixari; vno accusan-
te quod minus sexaginta denarijs recepisset, alter propter
domini

domini sui potentiam quem habebat, verba socij contem-
nente & irrogante insuper illi contumelias & terrores;
ille iniuriæ acceptæ non immemor, exinde quærebat o-
portunitatem, vt eum traderet cum sibi fortuna, qui gra-
uamen intulerat. Quadam itaque diu læsus & læsor ob-
uiauerunt sibi, & iniuriatorẽ se agentẽ incautius iniuriat
gladio petijt improviso, vulneratumq; grauissime ad terrã
vsque prostrauit. Quo iacente, super dolorem vulne-
rum eius addidit ampliora, & plagis impositis abijt semi-
uiuo relicto. Delatus igitur ad hospitium lacero corpore,
biennio lectodecubuit, ita quod nullatenus valebat assur-
gere de eodem. Vxor autem illius flebat quotidie & lu-
gebat, eo quod vnde cõduceret medicum non habebat.
Tabescente sic illo, & illa mœrente, nocte quadam reue-
renda quædam matrona, flenti vxori non per somnum, vt
assolet, sed clarissima visione apparens, Quare mœro-
re consumeris, ait, absque profectu? Virum tuum
Beato *ERMINOLDO* trans mitte, & remittet eum in-
columem. At illa: Quomodo eum sibi transmittam,
cum de lecto nequeat se mouere? Respondit quæ ap-
paruerat, Tantummodo voueat se iturum, & vires auge-
buntur. Hoc dicto disparuit. Vxor vero narrauit viro
quæ viderat, qui facto voto, mane accepto baculo iter
aggressus, licet cum difficultate ad tumbam Sancti deue-
nit, seque ponderans domum regreditur,
plenam, vt credimus, postmodum

capiens sanita-
tem.

DE
Aaaa 3 DE

DE S. ERMIN. PRÜVENING.
DE DOLORE OCULO-
rum curato.

XXXVII.



VRIFEX quidam GOTFRIDVS nomine gentē
SVEVVS, vir miræ simplicitatis, in artis illius
omni genere, cunctis qui erant RATISPONÆ
peritior, grauiſſimam oculorum paciēbatur
infirmatē, adeo vt vnus oculus excæcetur, inſuper ver-
ſus in cruentam carnem & nigram; non autem habens
precium medicos conducendi, cum vetularum ac mulie-
rum experimenta quam plurima ſine profectu aliquo re-
quiſiſſet, audiuit mulierem peritiſſimam in huiusmodi eſſe
apud HERBIPOLIM, ad quam dum pergere decreuiſſet, ſed
careret expenſis, conſultum eſt amicis, vt obmiſſis omni-
bus, ſuffragia beati requireret ERMINOLDI, quibus ille cō-
ſentiens, oculo argenteo fabricato, ad ſepulchrum ſancti
eo ſe ponderauit. Mira res ſub ſpacio noctis vnus, oculū
ſanum ac purum perſpicacioremque recepit, quā ante
morbum ſe meminit habuiſſe.

DE PVELLA DEBILI
curata.

XXXVIII.



ENRICOVS quidam ciuis de RATISPONA, die
quadam venit in PRÜVENING, Deo & ſancto
ſuo ſupplicaturus. Qui audiēs inter multos à ſa-
cerdote qui celebravit, Dei ſamulum com-
mendati, habere ſe filiam teſtabatur, quæ cum octo annis
nunquam ad ambulandum terram ſuis pedibus tetigiſſet,
ipſeq; adductam eam tribus ponderaſſet vicibus, ad viri Dei
ſepulchrum, adepta eſt integram ſanitatē, quæ firmis
nunc greſſibus vſq; in diem vatur hodiernum.

DE

DE MULIERE FRAVDVLEN-
ta correcta.

MATER FAMILIAS quędam de RATISBONA, cum XXXIX;
 per se venire non posset, nummum ad offeren-
 dum accedendo absq; candelis, per mulierem
 manentem secum in domo, ad sepulchrum viri
 Dei transmisit. Quę cum alijs mulieribus veniens, can-
 delas quidem accendit, nummum obtulit ad sepulchrum,
 sed clanculo retrahens ipsum, & fraudulenter marsupio
 suo cum imponere cogitabat & reseruare. Sed mirum
 in modum duo digiti quibus illum abstraxerat & tenebat,
 ita continuo sibi sunt coarctati, vt eos nec ab inuicem sol-
 uere, nec nummum excutere pręualeret. Abijt ergo cum
 sociabus tristis & męrens. Quę cum venisset in campum,
 causam ab illa fletus inquirunt. Illa suum confessi rea-
 tum, manum protulit subtraatricem, digitis adhuc tena-
 citer cohęrentibus & tenentibus quod abstulerant in oc-
 culto. Quem cum mulieres auellere niterentur, nihilque
 proficerent, saniori vsq; consilio, cum rea regressa manum
 cum furto super tumulum posuerūt, pro absolutione furis,
 Deum eiusq; piissimum Confessorem suppliciter inuocan-
 tes. Statimq; digiti qui ad furandum auferendum que
 cohęserant, ad restituendum laxati sunt & soluti. Den-
 sio itaq; misso in archam, mulieres cum gaudio Deum lau-
 dantes & familiam eius, ad propria redierunt, accepit
 autem omnes timor & magnificabant Deum,
 qui hoc miraculum audi-
 erunt.

DE

DE SURDA CVRATA.

XL.



ALTERA quædam LEVKARDIS tantam incurrerat surditatem, vt tinnitu aurium crebro nimium læderetur, quæ tumbam viri DEI tertio visitans, plenam adepta est sanitatem.

DE DOLORE OCVLORVM

fugato.

XLI.



LIA quædam mulier tantum dolorem paciebatur in oculis, vt multo tempore clausis eisdem cæca esse crederetur, quæ cum ad auxilium viri Dei deuota venisset, statim in ipso ingressu Ecclesiæ diu clausi sunt aperti. Apertionem autem eorum tanta est lachrymarum effusio subsecuta, vt vestes mulieris vsq; ad pectus adeo madidarentur, vt perfusæ fluuio viderentur. Accessit ad tumbam, Deo gratias agens, eiusq; magnifico Confessori, domum inde rediens, plena post modicum gratulata est hospitate.

Multa quidem & alia signa fecit Iesus, famulum suum honorans, quæ non scripta in libro hoc, quæ vel quorundam simplicium fratrum humilitas vltro suppressit, vel aliorum incuria obliuioni tradidit negligenter. Hæc autem quæ auribus nostris audiimus, patres nostri annunciauerunt nobis, & seniores fide dignissimi, breui calamo perstringentes, futura quorum Deus sibi noticiam reteruauit adnectenda committimus diligentæ posterorum. Nam fiduciam talem habemus in Domino quod nisi requirentibus famuli sui dilecti suffragia deuotionis & fidei vasa defecerint, sui oleum non deficiet Helisei, ipso præstante qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

EPI.



EP I L O G V S

supra dictorum.



VM fidelium pia deuotio amplius & perfectius circa nota quam incognita moueatur, vt vniuersi qui presentem sunt ingressuri Basilicam, Cœnobij huius PRÛFENINGENSIS originem ac profectū, vsq; in hæc tempora non ignorent, pagellam hanc omnibus accessuris, vice speculi duximus adhibendam. Sciendum est igitur quod anno post partū virginis gloriosæ M. C. I X. Beatissimus Pater sanctus OTTO BABENBERGENSIS Episcopus diuina reuelatione præmonitus euidenter, vt in gestis eiusdem plenius continetur, locum hunc in Dei ac sancti Georgij Martyris victoriosissimum fundauit honorem, eoq; in domibus, habitaculis, officinis claustro conuenientibus, per ipsius studium & industriam laudabiliter consumato, ac communito liberaliter & abunde prædijs, syluis, ceterisq; possessionibus, quas necessitas cœnobialis vitæ requirit, fratres collegit & instituit in eodē, qui sub beati regula BENEDICTI Deo ibi perenniter militarent. Collecto ergo conuentu beatum ERMINOLDVM, cuius sepulchrum in medio Basilicæ cernitur, huic Ecclesiæ primum Domino disponente præfecit Abbatem, euocatum tam multiplicibus quàm supplicibus literis de HIRSAVGENSI Cœnobio. In quo sub beati VVILHELMI regimine monasticæ vitæ jugum portauerat ab adolescentia sua. Vnde iam pridem propter summam

Bbbb

perfectio.

perfectionem vitæ laudabilis, cuius famæ præconium longè lateq; percrebuerat, ad *LORACENSEM* Ecclesiam electus est Abbas, & ab *HENRICO V.* nominis huius Imperatore, regalibus solenniter inuestitus. Cui Ecclesiæ cum paulo plus quam anno gubernatione sanctissima præfuisset, ac sub tantillo spacio temporis, non minus quàm quadraginta Domino sanctæ religioni filios aggregasset, & ibidem, propter quædam conscientie leuem scrupulum, culpam timens, vbi culpa omninò non erat, dignitatem Abbaciæ illius resignans, cum fratribus Deo collectis, ad *HIRSAVGIENSE* cœnobium remigravit, vbi cum suis iocundè receptus est & seruatus, & aliquanto tempore demoratus ibidem. Demum anno domini *M.C. XIII.* à venerabili fundatore nostro, huic loco vt dictum est gubernando præficitur primus Abbas, & rogatu venerabilis domini *HARTVVICI* tunc *RATISPOHENSIS* Episcopi & consensu, per sanctæ memoriæ *Valricum* Patauensem Episcopum in Abbatem solenniter consecratur. Cumque in cura suscepti regiminis boni pastoris instar, verbo pariter & exemplo subiectos à malo retraheret, prouocaret ad bona, nihilq; negligeret faciendum, sed inuigilaret diuinis operibus incessanter, Diabolus sua damna & Dei lucra videns, & inuidens quotidie crescere per eundem quosdam, maliciæ suæ satellites, ad sancti patris animauit interitum & armauit. Ne igitur venerabilis Christi Confessor, qui regimise Patriarchas, Apostolos documentis & signis, virgines castitate conciuēs habere meruerat, martyrum quoq; palma careret, post multas iniurias, cōtumelias, & terrores, ab vno, ministerio diaboli ligneo per insidias veste percussus, aliquandiū superuiuens, eadē in Sancto Epiphaniarum die sub Hymno videlicet

An-

Angelorum, ad Angelorum regem & regionem glorioso sine transiit, sicut in ipsius festi vigilia, propheticè quo plenus erat spiritu, ipse prædixerat, eo ipso nos quod pro signo sui dederat vaticinij certiorans, quod nunquam videlicet diuinum cessare deberet obsequium in hoc loco, quod & extunc vsque in hæc tempora, sicut patet, eiusdem patris, vt credimus, meritis & obrentu in suo statu permanet & vigore. Spiritu igitur migrante ad cælos, corpusculum sancti patris in eo quod in præsentiarum cernitur sepulchro, deuotè reconditum innumeris mox cæpit virtute CHRISTI miraculis coruscare, cæcis viso restituto, quam pluribus contractis & claudis gressu, resolutione turgentibus & inflatis, Epilepticis, paralyticis, energumenis, Dæmoniis, surdis, hæmorrhoidis, sospitate potita, blasphemis vero punitis, igne tabescico, lepra & morte postremo quæ merebantur punitis & correctis, accedentibus vel agentibus aliquid circa ipsius tumulum fraudulenter sicut libro miraculorum ipsius plenius manifestatur. Cæterum inter virtutes & signa quæ diximus non debet hoc minimum reputari, quod cum aliquanto iam tempore, memoria sancti Patris ab hominibus intermissa fuerit & neglecta, nunc tandem tam crebra visitatione accedentium iam continuo renouatur, vt hoc quod de iusto per sapientem Eccles. 35. scriptum est: Non recedet memoria eius, & nomen eius requiretur à generatione in generationem, ipso factò & euidèntia in eo sit impletum. Propter quod profecto speramus, quod Deus omnipotens in suo famulo glorificari, & in se glorificare disponens eundem, omnes qui per ipsum DOMINI beneficia postulauerunt, piè fideliter & attente, misericorditer vel ad votum exauditurus

dicurus sit vel ad fructum. Cursum ista perfruiimus & summam, quatenus omnes qui Dei ac famuli sui Patrocinia postulaturi aduenerint, ipsius aequaliter merita cognoscentes, exauditionis suæ fiduciam eo ipso concipiunt ampliorem apud DEVM, qui est benedictus in secula seculorum,

Amen.



VITA